



Catalogus dissert.

I. J. Semler.

1. Obf. Super 2 Timoth. II. et III.
2. Sessio VII Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de presentia thes. acroamatica pro sic dicta biblica.
5. de infelicitate hominum presentis.
6. de Christi ad Aethiaram epistola.
7. de imagine divina in humana ipsi natura.
8. de mysticorum interpretationem studio.
9. Antiquissimum Hermeneuticon ex Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizator fuisse, de quibus agitur Act. XIII. 5
12. de propagata per Honorificum inter Germanos ref. christ.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. observando.
14. In Matth. I. 17.
15. de cavenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse Paulo auctore verum Deum et verum hominem. disp. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex evangelio Hebraeorum.
19. De vario et impari veterum studio in recedenda historia descensus ad inferos.
20. rituum si recte describi personam.
21. de Desmodorovi et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter Samaritanos et Aethiopes.

II. J. Neesfeldt.

23. Singularis providentiae divinae in pac religionis vestigia.
 24. de discernenda propria et tropica dicta
 25. de Ceteris patrum graecorum in nou
 26. in 1. Cor. II. 20 et 27.
 27. de script. canonis anglica Luc. II. 14.
 28. de Christo nomine regnante.
 29. Quoniam auctoritatem divinam religionis christ confirmare sicut maioribus legitatione sinastica.
 30. ad Hebr. II. 11.
 31. in 2. Cor. III. 17.
 32. ad Rom. XXIII. 17.
 33. in Joh. 8. 12-13.
 34. de vera vi nominis filiorum dei
 35. In 2. Thessal. II. 1-12.
 36. In Joh. 8. 1-17.
 37. In Joh. 8. 12-13 - 17. 23.
 38. (Sicut in No. Reijn. may N. 31. - 74)
- To Querlet by 2 Cor. II. 6.

21.

D. IO. SALOM. SEMLERI

COMMENTATIO

DE ΔΕΣΠΟΣΥΝΟΙΣ,

ET

EVANGELIO HEBRAEORVM.

HALAE


TYPIS HENDELIANIS.



21.


LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
HALL
MAGDEBURG





Iucundissima, nec sine ratione, christianis semper visa est illius historiae repetitio, quantumvis hic ibi impeditior esset & subobscura, quæ complectebatur istam humanæ vitæ externam conditionem, quam nouæ religionis dignissimus auctor, olim inter homines ipse homo Christus exegit. Etsi enim nostro iure, nos alieniores sumus ab illa superstitione, præcipiti atque inani, quæ sic amabat istam Christi historiam humanam, vt vel crepundia, inde ab infantia & puerili vita, in admirationem sacram verecunde traheret, & *λειψιδόν*, seu *Reliquiarum*; (infantum & exilis omnis nomen) fere innumerabilium, honore nouo, religionem ipsam infeliciter, maxime informarent: hominem tamen ipsum, Iesum, maximum enim & inusitatum hominem, licet inter ista rudimenta religionis, (*εικονομαίαν* certe dixerunt), minus notum, quo deus rebus ingentibus & nouis efficiendis vsus fuit, maximo & perpetuo honore afficimus, quotiqueque communis salutis humanæ illa fauissima auspicia lætabundi animo nostro ipsi contemplamur. Itaque facile credimus, fuisse etiam isto tempore multos, qui aliorum existimatione libenter fruenterentur, sibi ipsis iure quodam gratulati sanguinis aliquam propinquitatem, qua ipsum hunc Iesum, postea a multis vario sed studioso honore affectum, soli attingerent, siue per *Iosephum* istum, Mariæ maritum, siue per *Mariam*, siue per vtriusque maiores aut plures cognatos; licet ad domesticam præstantiam & virtutem hæc externa & peregrina causa aut gratia non præcipue faceret. Scimus sane Iesum ipsum non raro reprehendisse Iudæorum illam vanitatem, qui Abrahami sanguine, e quo prognati essent, maxime aduersus alias gentes gloriabantur; sicut iam Iohannes, qui Baptistes dicitur, & Paulus postea sepius illud opinandi vitium horum *σαρκικόν* tetigit, qui propriæ virtutis religionisque loco maiorum præstantia solebant temere abuti. Fuerunt autem etiam e Christianis, quod historiæ satis vetusta auctoritate non caret, qui generis & familiæ proximum quasi ius illud

A 2 tu-



studiosius tuerentur, & præcipui honoris titulum inde captarent, quod essent ex iisdem regis maioribus profati, ac Iesus & eius parentes. Solent igitur sæpius etiam isto nomine designari, συγγενεις του Κυριου, Iesu illius, qui *Messie*, Regis certe, atque ex familia Davidis regia oriundi, tam vetustum omen expleset. Dabimus hic aliquam ei rei operam, vt Δεσπονας illos, ¹⁾ quo nomine olim distinguebantur etiam gentiles Iesu, paulo diligentius illustremus; argumentum certe huius disputationis nec alienum esse putamus, ab huius temporis sacro iure, nec omnino infrugiferum, aut lectorum nostrorum quadam attentione indignum.

Julii Africani, auctoris certe vetusti, locum satis verbosum ex Epistola quadam ad aliquem *Aristidem*, exscripsit *Eusebius*, ²⁾ paulo post initium historiae ecclesiasticae, de componenda illa diuersitate, quæ legentium quasi oculos statim ferit, in perscripta illa *genealogia* Iesu, quæ aliter apud *Matthæum*, aliter apud *Lucam* legitur. Cum enim vtriusque genealogiæ nomina luculenter differant, sicut ipsa recensio- nis series contrario ordine tabularum constat; siquidem *Matthæi* for- mula a maioribus inde ab *Abrahamo* deducta temporis ordine *definit* in parentes Iesu; *Lucæ* autem series statim incipit a Iesu, Iosephi filio, & redit per alia genealogiæ capita, vsque ad Adamum; facile intelli- gitur, variis studiis & sententiis lectorum locum quasi vltro factum fuisse. Itaque & ille *Africanus*, reiectis aliorum lectorum, scilicet vtri- que Euangelii ecclesiastici, sententiis, tamquam falsis aut incommodis, aliam viam conciliandæ & interpretandæ vtriusque genealogiæ ipse hic prodit, quam non obscure idem prætulit. Admonet enim, Hebræis pariter in vsu fuisse, tam genealogiam veram, *naturalem*, quam *lega- lem* aliam, quæ istius in locum, quia nulla naturalis est, succedit, vt

¹⁾ Infrequentius hoc nomen varie solent interpretari; non existat in *Hesychio*; *Suidæ* & *Phavorini* lexicon tantum adiciunt, Δεσποτων παιδες. Heriles cognatos transtulit *Casaubonus*; in *Glossis* græcolatinis, Δεσποτας; Heriles filius, *domicellus*. In medijs aui scriptoribus non raro occurrit, etiam Δεσποτων εγγων dixit *Pachymeres*. Vide *du Cange* in glossario græcitatũ medæ & infimæ. Ita- que ipsum nomen videtur iuris vetusti memoriam prædere; quod aliorum iniuria carerent hi Δεσποται potestate regia.

²⁾ *Euseb.* lib. 1. hist. eccles. c. 6.

vt familiae nomen continuetur. Propriam igitur genealogiam, seu quæ naturæ ordine constat, omnes sciunt atque intelligunt; e parentibus filii, naturæ lege progeniti, recensentur. Sed *legalis* & vicaria quasi genealogia tum scribitur, cum fratris, sine liberis mortui, coniugem superstes frater duxit, atque ex hoc nouo matrimonio liberi procreantur. Hi igitur liberi, ex legis Mosaicæ pristinâ auctoritate, istius mortui, qui nullos ipse genuerat, liberi dicuntur & scribuntur; igitur & iste mortuus in genealogia recensenda dicitur istorum liberorum pater esse, licet proprie sint alius fratris veri liberi, seu prioris nepotes ex fratre. Sic utramque genealogiam, etiam aliter perscriptam, veram tamen esse & iustam; quia partim veri & naturales patres nominati sint, partim legis iure alii patrum nomine insigniti, cum per fratris succedens matrimonium liberi isti adiunguntur. *Matthæi* igitur genealogiam recte definire ab Abrahamo, communi parente, per istas familias in *Iosephum*; licet diuersa nomina, diuersorum patrum, in utraque serie perscribantur. Iosephi pater hic Iacob dicitur, filius *Matthani*, apud *Matthæum*; in *Luce* autem serie Iosephi pater dicitur, non idem ille *Jacob*, sed alius *Eli*, qui fuit filius *Malchi*. Nempe *Jacobus* genuerat vero naturæ ordine *Iosephum*; quia duxerat fratris *Eli*, qui sine liberis mortuus fuerat, uxorem. *Matthan* porro & *Melebi* successerant alter alteri in coniugio; cum *Esbe* (sic nominare sustinent coniugem) prior maritus *Matthan*, ex Salomone ipse oriundus, genuit *Jacobum*; ex altero autem marito, *Melebi*, qui ex *Nathanis* esset posteris, mater eadem peperit filium secundum, *Eli*. Sic utramque genealogiam esse pariter veram. Hic idem *Africanus* admonet de difficultate hebraicarum recensendarum genealogiarum, quia Herodes iste rex, iustam fere omnem illustrationis causam & fidem cunctis nobiliorum tabulis genealogicis; ne scilicet harum veteri auctoritate ipse, peregrinus, nouns, & minus præclari sanguinis homo, per istam tabularum sanctitatem publice coargueretur. Oritur hinc noua sine querela siue fabula, de ista Herodis malignitate; qua factum sit, vt vix pauci quidam diligentiores alijs Hebræi, auitæ originis seduli defensores, conseruariunt suas



tabulas, & adhuc isto tempore, quo *Africanus* scripsit, possederint, genealogiarum suarum vera monumenta; siue iam olim procuratis pluribus exemplaribus, ante istud tabularum in templo seruatarum incendium; siue post illud fatum, restituti ex fidei memoria, istis aorum tabulis. Hoc igitur narrasse & confirmasse quosdam Africano ex illis hominibus, qui suo sanguine se attingere parentes & maiores Iesu gloriabantur, *Δεσποσύναι*, (ab aliis, qui eos reuerebantur, vt arbitramur.) nominati.

Iam de Herodis illo barbarico instituto, tollendarum veterum tabularum, existiment alii, quod lubet; nec enim nos ipsi facile crediderimus huic tam mediocri narrationi; quæ & omni caret antiquorum testimonio, quod vix fieri potuisset, in publica Hebræorum nobiliorum omnium indignatione; & ipso argumento parum commendatur, quod ista in tenuitate & exilitate populi, per tantum temporis spatium, regii tamen generis certas reliquias non confusas aliquos studiosissime requisuisse & ostentasse ad alios narrat. Etsi enim *Dauidis filius* Messias dici solebat, nemo tamen persuadebit, istam posterorum Dauidis hæredum & sanguinis seriem simul hoc nomine describi & quasi continuari; quia simul falsa illa notio regis gentilis & ciuilis persuadenda esset; quod vel ipso Christo inuito susciperetur, qui longe melioris & grandioris formulæ, spretis Iudæorum vanis ominibus, & veri omnis regem se haberi voluit. Atque vel sic intelligimus, istos ex Hebræis christianos, qui regiam prosapiam potro iactare sustinebant, abfuisse a perfectiori cognitione Christi.

Sed præcipue iam attendamus ad illam partem huius narrationis, quæ non obscure prodit, 1) fuisse omnino ex Iudæis Christianis aliquos, qui familiæ regis, *dominica*, veteri honore, ibi adhuc superbirent, *εραβουνοτης*, hoc verbo vtitur ipse *Africanus*. Nempe hæc narratio est christianorum Iudaizantium, qui familiæ præcipuum honorem illum præ se ferrent, in cuius societatem ceteri omnes Christiani venire non possent; sunt igitur ex *Nazarenis* illis, quorum nomen seculo adhuc 4. 5. solet non raro occurrere, qui ipsa sacra societate domestica se iungebantur a ceteris christianis. Igitur & singulari quodam

Euan.

Euangelio soli vtebantur, hebraice seu syriace (hebraicis litteris scripto, ne deesset villa pars honoris an græcis?) scripto, quod suo adhuc tempore *Hieronymus* græce & latine interpretatus est, licet nullum ad ecclesiasticæ seu catholicæ societatis fructum ista opera attulerit, adeo periit omnino ille Hieronymi priuatus labor. 2) Hos Christianos ex domesticis gentilibusque, si placet, commentariis illustrasse genealogiam *Matthæi & Lucæ*. Sic enim ipse *Africanus* luculenter narrat, hos *Δεσποσους*, qui priscorum *Δεσποτων* filii essent, testibus domesticis tabulis, vixisse antea in *Galilæa*, in *Nazaret & Coebaba*; secessisse postea in *λοιπηνη γην*, in ceteram regionem, scil. Palæstinæ, atque *exposuisse* (*ἐξηγησαμενοι*) istam genealogiam (Iesu scilicet, quæ in vtroque *Euangelio* legebatur, requisitos ab *Africano*) ex domesticis commentariis historicis, (*βιβλος ἡμερων*), cuius generis libri vix pauci adhuc apud quosdam supersint, post illud Herodis facinus barbaricum. Nempe, cur non fatentur existare hanc omnem genealogiam in *Euangelio*? Vtrum & hæc series debebatur ipsorum commentariis? Si vero *Matthæus* perscripserat; cur tanquam suam ostendant beneficium?

Hos igitur *domicellos*, quasi *Δεσποτων* antiquorum *παιδας, συγγενεις* Iesu Nazareni, non sine ratione putamus quærendos esse inter illos christianos, quos alii græci aut catholici christiani *Nazarenos* nominare solent; quo nomine iam inde a morte Christi nouæ sectæ amatores, qui inter ipsos tamen viuerent, diuisos iam a populi partibus, seingere solebant Iudæi. Hos in Palæstinæ partibus quibusdam commoratos fuisse priora per secula, satis constat, atque ab illis *Julius Africanus* iustam quasi auctoritatem repeti posse putauerat, ad illam difficultatem explicandam, quæ in duplici genealogica serie *Matthæi & Lucæ*, seu *Euangeliorum* ecclesiasticorum reperitur. Nec est obscurum, Iulium *Africanum* opportunius & commodius putasse hoc subsidii genus, quod ne apud *Episcopos* quidem aut præsidēs aliarum ecclesiarum catholicarum reperire potuerit. Non alienum est a nostro instituto, in memoriam hic reuocare quasdam partes historicas alias, quas *Eusebius* in chronico seruauit, vt eo facilius perspiciamus, *Africanum* frequentem quasi consuetudine horum Christianorum, qui e Iudæis in Palæstina

stina adhuc supererant, usum fuisse, quia tales *παράδοσις*, (de Iacobi tentorio, quod Edesse semper fuisse vsque ad Antonini tempora narrare audeat; de *Terebinto* arbore, sub qua Iacob Idola occultauit Labani, quæ suo adhuc tempore ab incolis in honore habeatur;) vix accipere ab aliis potuit homo christianus, nisi a christianis, qui adhuc Iudaizarent, & terræ quasi quodam sacramento vti & frui vellent. Interfuit etiam *Africanus* colloquio *Origenis* cum *Basso* quodam, in Palæstina. Cum igitur *παράδοσις* ipse nominet Africanus, in illa epistola ad *Aristidem* de consensu Euangeliorum; verosimillimum est, Africanum accepisse ab his Iudæochristianis; nec enim Iudæi conciliandis Euangelii vltro dedissent operam, nec alii christiani, qui e Iudæis ipsi non essent, tales genealogias adamassent, quibus honorem proprium quærere non poterant. Sed de his alii statuunt, quod posunt. Certum est, ex isto loco, hos *Δεσποσυνες* habitos fuisse apud suos *συγγενεις τῷ Σωτηρος κατὰ σάρκα*, atque ideo hi non commiscebantur cum aliis christianis, sed seruabant seiunctam aliquam locis & institutis propriis societatem. Redit eadem descriptio, *συγγενεις* Domini *κατὰ σάρκα*, apud Eusebium lib. 3, c. 11. post Iacobi, episcopi Hierosolymitani cædem; conuenisse *cognatos* Domini cum aliis in vrbe Hierosol. ad eligendum alium episcopum, atque sic electum fuisse *Simonem*, filium *Clope*; fuisse autem hunc *Clopan* Iosephi fratrem; hunc igitur aliis prælatum, *δεσποσυνον* scilicet. Porro cap. 20. idem *Eusebius* narrat, de *συγγενει* seruatoris, superfuisse adhuc *nepotes Jude*, fratris Christi secundum carnem. Hos igitur delatos fuisse apud *Domitianum*, imperatorem, quod *regii sanguinis* essent ex Dauide & suspicione nostrarum rerum non carerent; facile autem intellexisse *Domitianum*, hominum innocentiam & probitatem; itaque sine omni vexatione aut calumitate dimissos, hic ibi, variarum ecclesiarum designatos fuisse episcopos, quia non solum hac ratione *confessores* essent, sed & *cognati Christi*. Atque hos porro pacatos vixisse, vsque in *Trajani* tempora. Nos quidem non ponemus in magno discrimine, vtrum quis *Hegesippi* auctoritatem admittat, quam Eusebius hic proficitur, an vero parui faciat; sufficit nobis, tales descriptiones nos collegisse, quæ sint ho-
rum

rum christianorum Iudaizantium, & quæ *συγγενες* domini, filios fratrum Iosephi aut alio modo cognatos, oriundos ex regia prosapia, & *δεσποτους*, eosdem faciunt; qui inde a primi sæculi postrema parte in secundum vsque sic florebant, vt apud suos non essent in obscuritate; vt potius in honore præcipuo haberentur.

Liceat breuibus hic in memoriam reuocare aliquot loca christiani, græci corporis, quibus videtur eadem inesse descriptio hominum quorundam, qui iam tempore Christi & Apostolorum solerent, *cognatorum* quodam quasi honore vt, quem haud dubie per posteros continuauerunt, siue ipsi, siue alii. Vix obscura esse potest illa sententia, 1 Cor. 9, 5, quidni & mihi liceat, rogat Paulus, sororem coniugem comitem ducere, sicut & ceteri apostoli faciunt, *καὶ οἱ ἀδελφοὶ τῆς Κυρίας, καὶ Κηφῆς*? Facillime intelligitur, plures, qui dicerentur Apostoli, (vix enim isti comites Christi præcipue designantur,) & illos *fratres* Christi, coniuges, quæ & ipse essent christianæ, secum suorum itinera comites habuisse, communi ecclesiarum beneficio & stipendio in omnes impensas libere vsuros. Nec obscura est descriptio, *οἱ ἀδελφοὶ τῆς Κυρίας*, quasi sic iam facillime distingui possent. Fuerunt igitur ex illis Palestinae partibus, quas Christus cum suis cognatis solebat præcipue frequentare. *Petri* certe domus & *πενδεκὰ* iam Matth. 8, 14. commemoratur, & cap. 12, 48. mater & *fratres* Iesu nominantur, quorum adeo nomina leguntur, c. 13, 55. & *sorores*, v. 56. In matris societate etiam *fratres* redeunt Ioh. 2, 12. qui & cap. 7. aliquoties repetuntur, vs. 3, 5. 12. sic quidem, vt ne hi fratres quidem iustam auctoritatem huic Iesu isto tempore tribuerint. Dicitur & *Jacobus* & *Judas*, *frater* domini; Actor. autem 1, 13. apostolorum nomina perscribuntur, & porro v. 14. mentio fit *mulierum*, (coniugum haud dubie quarundam, nec enim *παρθενοὶ* distinguuntur;) & *Mariæ*, matris Iesu, & præter ea, *fratrum eius*; igitur etiam alii dicebantur *fratres* Iesu, qui non essent isto in numero Apostolorum, sicut *Jacobus* & *Judas*, fratres domini dicebantur. Non repetemus antiquam sententiarum diuersitatem, vtrum nomen *fratris* proprie valeat, (filius Iosephi ex Maria, post Iesum natum;) an filius *Iosephi*, ex priori coniuge, an latius significet, filios & nepotes

ex fratre & sorore; quibus omnibus nomen *συγγενεις* vario iure conuenit. Certum vero est, fuisse multos, plures certe, qui hoc illo ordine ad *Iosephi* aut *Marie* cognatos referendi essent, si maxime *Maria* tantum unicum filium, Iesum, edidisset. Hos igitur *συγγενεις*; Iesu, seu *fratres κατὰ σαρκά*, non obscure perspiciamus ex Pauli allato loco, 1 Cor. 9. sibi non partem sumfisse & tribuisse, præcipuo quasi illo iure familie, vt communi christianorum suæ societatis sumtu omnes uiuerent.

Ex his porro alios superfuisse, qui mallet istam præstantiam, quam Paulus solet sic describere, quod sit *κατὰ σαρκά*, continuare, confisi gentili quasi iuri, & locorum nominumque sanctorum honori; qui & ipsi *Hebræos* porro se nominarent, & *Nazareni* ab aliis dicerentur; non a Iudæis solum, qui omnes christianos sic contemnebant, sed a christianis aliis, aliorum locorum & morum. Viuebant certe illi *Δεσποσνοι* quorum *παράδοσι* exposuit *Africanus*, in *Galilea*, in vicis *Nazaret*, 3) & *Cocbaba*; erant autem christiani; quis igitur dubitet, eos omnino quærendos esse inter eosdem *Nazarenos*, qui solent ab aliis christianis distinguui? Isti *Nazareni* commorabantur in his iisdem *Palæstinæ* regionibus, in quibus *Δεσποσνοι* seculi tertii initio adhuc commemorantur ab *Africano*. Tribuitur illis & hebraica seu syriaca lingua, & *hebraicum* Euangelium, quod dici etiam solet, Euangelium *κατ' ἑβραϊσ*, nempe cuius auctores sint *Hebræi*, seu illi primi christiani, qui hebraice ipsi locuti essent, in *Palæstina*, non vero græce, vt apud exteros.

Redibimus paucis in antiquissimum illud tempus, vt hanc causam eo certius repræsentemus. Primus igitur videtur *Papias* ille, apud Eusebium, 4) qui *Papiæ* certe testimonium longo interuallo distinxit ab *Hegesippi* supilli narratione. *Papias* igitur prodidit primus, Hebraice *Matthæum* scripsisse; hanc igitur, licet tenuem & leuissimam narrationem, secuti sunt multi alii scriptores ecclesiastici, non solum veteres, sed & quidam e recentioribus; aliqui satis grauiter hoc confir-

3) Hinc certe *Matthæum* ortum fuisse, arabica vita tradit, quam edidit *Kirstenius*.

4) Hist. eccl. lib. 3. c. 39.

mare ausi sunt. Scimus autem *Papiam* collegisse variorum ὁ χριστιανῶν *narrationes & traditiones*; quibus in ista temporis acerbitate eo facilius multi dabant operam, quod certi essent, se primos esse historiarum, quam *cupidi* auditores expeterent, auctores; quibus liceret speciem historiarum talem informare, qualem vellent. Credimus igitur, *audiuisse* *Papiam*, forte ab his ipsis Hebraeis Christianis, qui videntur etiam in alias regiones extra Palaestinam commeasse; ut in *Phrygia* scimus iam seculo secundo Iudaizantes illos, Montanistas, vel hebraica urbium & vicorum nomina instaurasse, eadem, quae in Palaestina celebrabantur. 6) Ex Evangelio κατ' Ἑβραῖς idem *Papias* descripserat historiam de muliere accusata apud Christum multorum peccatorum. Igitur hi Christiani utebantur hebraice scripto Evangelio, & ne honore careret, alii 12. apostolis, alii *Matthaeo* tribuerunt. Quis autem hanc rem credat, cum centum alias fabulas Iudaizantium non credamus, cuius generis insanam narrationem ex *Papia* vel *Irenaeus* descripsit, & Christo ipsi tribuere ineptias istas non erubuit. *Fulgentius* nondum usus est nomine *Euangelii*, nec *Matthaei*; sed semper nominat ἀπομνημονευματα ἀποστόλων, omnium. Similiter de *Hegesippo* narrat *Eusebius*, 7) quod multa ex *traditione ἀρχαῖα*, iudaica, prodiderit atque ex Evangelio *secundum Hebraeos*, & ex *Syriaco* atque proprie ex hebraica dialecto. Nempe Iudaeochristiani talibus traditionibus maxime superbiebant, per eas diuisi a ceteris ecclesiis. Si igitur Hebraei Christiani talem παραδοσιν ἀρχαῖαν longe & late sparserunt, *Matthaeum* hebraice scripsisse, seu XII. apostolos; idque esse in fitorum manibus, quo decore careant ceterae ecclesiae, nos sane iustam auctoritatem hic non reperimus. Fingamus, superesse genealogias τῶν Δεσποτιῶν, num ideo nos iis fidem haberemus, quia illi postularent? Idem certe *Hegesippus* scripsit, fuisse septem sectas in filiis Israel, τῶν κατὰ


B 2

της

5) Sic ipse in proemio testatur, apud *Euseb.* lib. 3. c. 39 sq. se quaesivisse, utrum quis aliquid sciret, dictum a Petro, a *Matthaeo* &c.

6) *Montanus* in Phrygia oppida *Peruzā & Tymium*, *Hierosolyma* dixit. *Apollon.* apud *Euseb.* lib. 5. c. 18. Nempe ex Apocalypsi ista, νομῆν ἠθέτη.

7) lib. 4. histor. c. 22. ἐκ τῆς κατ' Ἑβραῖς Ευαγγελίας, καὶ τῆς Συριακῆς καὶ ἰδίως ἐκ τῆς Ἑβραϊκῆς διαλεκτῆς, τήθηται, i. e. describit.



της Φυλης; *Ἰουδα καὶ τὰ Χερση*. Hic videtur adimius honor tribui *τῆ Φυλης* *Juda*, quod nullus esset huius tribus adfecta istarum sectarum, quæ pariter contra Christum & contra hanc tribum senserint. *) Succedit *Clemens Alex.* qui semel excitat *το κατ' Ἐβραίων Ἐυαγγέλιον*, *Stromat. t.* Vix dubitandum, vnde habuerit; nam credere licet ex *Palestina*, ab iisdem iudaizantibus igitur; nec fidem amatorum ipse hic confirmavit, sed traditionem descripsit; cumque vix semel excitet, nec sæpius aliquid ex eo repetat: certum est, contempsisse iudaicam opusculi formam & indolem. *Irenæus* autem narrat, scripsisse *Matthæum* hebraice; nempe ex *Papia*; cuius scripta *Montaniste* in *Galliam* attulerant; in itinere videntur & *Iustinus* & alii græcum ex hebraico didicisse. Sed romani episcopi numquam vñ sunt hoc christianorum iudaizantium libro. Non est historia apud vllos catholicos confirmata; est *Irenæi* domestica opinio, qui ipse non minus iudaizabat, quam *Iustinus* & *Tertullianus*. Quo iure his credamus? Porro *Origenes* repetiit aliquid ex hoc *Euangelio*; *κατ' Ἐβραίων* etiam nominat; sed sic excitat, vt non obscure significet, esse *extra omnem usum ecclesiasticum* catholicorum; *Origenes*, reperit in *Palestina*. Interea & *Eusebius*, cum de canonis varietate ageret,

*) Videtur eiusdem opinionis vestigium in *Iustino* reperire, *dialog. c. Tryph. p. 303.* edit. vulgat. de eadem re, quæ *Luc. 2.* narratur: *Ἰosephus* discessit *Bethlehemum*, *ἔσθην ἡμ.* ἀποστραφασθε. ἔπορευε της κατεκτισθης τῆς γῆς εὐσεβῶν Φυλης Ἰουδα το γενος ἡμ. Hic clare dicitur, tribum *Juda* (solam) habuisse in hac terra seu regione. In nostro *Euangelio* *Luc. 2. 4.* scribitur, quia fuit *Iosephus* ex domo & familia *Davidis*; pro quo in *Euangelio* *Hebræorum*, quo solo vitus fuit *Iustinus*, legitur, quia *Ioseph* fuit ex tribu *Juda*, quæ habitabat olim *illam terram*. Quod quidam iam olim hic legebant, *terra* *Juda*, sic omnino intelligendum est ex hac narratione, *terra, quæ habitabatur a tribu* *Juda*. Idem erga sunt *Δεσποτικοί*, & descendentes e familia *Davidis*; tales *Judeos* alienos fuisse ab aliis *Judeis* istis, qui *Hierosolimam* tenebant: facile credimus; forte & iidem *altam* urbem regionis & dominium terræ expectabant. Hæc certe consentiunt cum *Hegeſippi* descriptione: ceteræ *Judeorum* sectæ septem, aduersus tribum *Juda* & Christum sentiunt; omnes ex tribu *Juda* habentur pro Christi adfectis, seu pro amatoribus huius *Iesu*, qui fuit ex *Δεσποτικοί*. Sed vix obsecrum est, talem narrationem esse quasi interpretationem eius partis, quæ legeretur, *εἰς τῆν Ἰουδα*, quasi terra *Juda* idem esset, ac terra quæ est tribus *Juda*, quæ habitatur a tribu *Juda*. Nec delant alia indicia, in his *Iustini* allegariis, quæ inuicem *Origenem* idearum produunt; vt minime verum esse possit, hoc *Euangelium* horum iudaizantium esse tempore primum.

ageret, 9) narrat, etiam illud Euangelium, κατ' Ἑβραίων relatum fuisse inter ἀντιλεγόμενα. Nempe semper a catholicis reiectum fuit, qui alio Euangelio *Matthæi* omnes utebantur. Μαλιστα Ἑβραίων οἱ τοῦ Χριστοῦ παρὰ δεξαμενοὶ, χαίρουσι, delectantur hoc Euangelio; quia argumentum iudaicum conueniebat cum ideis domesticis. Iam *Hieronymi* plura loca videntur paulo plus lucis afferre; licet illud exemplar sui temporis haud dubie iam auctius esset, quam seculo tertio fuit.

Sic igitur *Hieronymus*: 10) in Euangelio, quo vtuntur Nazarenī, & Ebionitæ, 11) quod nuper in græcum de Hebræo transtulimus, & quod vocatur a plerisque (nempe his eo vtentibus, Iudaizantibus) *Matthæi authenticum*. Idem alibi: 12) in Euangelio iuxta Hebræos, quæ chaldaïco quidem Syroque sermone, (Sic antea *Hegefippus*) sed hebraicis litteris scriptum est, quo vtuntur vsque hodie Nazarenī, secundum Apostolos, siue vt plerique (Nazarenī) autumant, iuxta *Matthæum*. Huius generis descriptiones, (quod vocatur a plerisque *Matthæi authenticum*; vel plerique autumant, iuxta *Matthæum*) comparandæ sunt cum aliis nominibus, quibus alii eiusdem sectæ solebant vtī, quia in eo omnes non consentiebant, esse vnus *Matthæi* opus. Nempe hi alii statuebant, esse τῶν δώδεκα, XII. Apostolorum; secundum Apostolos, secundum Hebræos; κατ' ἑσχέρην scilicet hic *Hebræi* sunt Apostoli. Vt dicitur κατὰ Ματθαίον, κατ' Ἀποστόλους, quia auctores essent, vt κατὰ Λαζάρου, κατὰ Μαρκίου; sic & κατ' Ἑβραίων interpretandum est. Solebant enim hi iidem Iudaizantes vetustam παράδοσιν proderè hanc, per XII. annos, inflū Christi, manendum fuisse Apostolis in Palæstina; postea demum licuisse exire ad gentes alias. Possit & sic explicari, Euangelium κατ' Ἑβραίων, quod auctoribus Hebræochristianis primis vnicum in ista societate receptum est; sicut κατ' Ἀγυπτίους hoc modo intelligendum est, itatores primos christianæ religionis in Aegypto pe-

B 3

cu-

9) lib. 3. histor. c. 25. τῆσε, quidam referunt inter ἐπιλεγόμενα, plures igitur inter ἀντιλεγόμενα. Eo κατὰ Ἑβραίων illud delectari, qui Christum susceperunt; i. e. Iudaizantes; non ergo catholici eo delectabantur, χαίρουσι.

10) Hier. in lib. 2. in *Matth.* 22, 13.

11) Parui est momenti, vtrum fuerit omnino idem Euangelium; an apud Ebionitas magis adhuc interpolatum. Non est, non fuit nostrum.

culiari suo hoc Evangelio vfos fuisse, non recepto quodam ex aliis, apud alias societates prælatis. Itaque & *Titus*, bofrensis, alique interpretes ad Luc. 1. *ἐπεχειρήσαν*, admonent, *πολλοί*; istos esse eius generis ac auctores Evangelii *κατ' Ἀργυπτίας*, & illius *τῶν Δωδεκα*, nec sane videmus, quid obftet, quo minus Lucæ iam tempore Iudaizantes illi, *nomine Apostolorum XII.* (scilicet apud suos) Evangelium scriptum iactasse in Palestina credantur, patria in lingua omnino; reprehendit enim iam Paulus eos doctores, qui peregrina in lingua ad populum christianorum solerent verba facere; hi se dicebant Petri aut Iacobi, *τῶν ἁποστόλων*, discipulos.

Nec ignoramus Palestinaensium partium sectatores, in *Petri* laudibus augendis omnem consumpsisse operam, vnde contraria quasi historia Pauli & Petri colligi potest. Sed vt redeamus ad *nomina varia* vnus corpusculi, certum est igitur, *quosdam, plerosque* adeo Nazareni, Matthæo ipsi tribuisse hoc Evangelium, quo solo utebantur; alios *cunctis Apostolis*; igitur forte etiam alii *vni Petro*; sic certe *Theodoretus*, ¹²⁾ de *Nazarenis*; sunt Iudæi, qui Christum colunt, *ὡς ἀνθρώπων δικαίον*, & vtuntur Evangelio *κατὰ Πέτρον*. Scilicet *Petro* primæ partes conueniebant, eius etiam nomen ab aliis frequentatum potius fuerat, quam Matthæi. Itaque semper hoc certum manet, fuisse *santum Iudaizantes*, Hebræochristianos, quorum in manibus fuit Evangelium hoc, variis nominibus ab ipsis insignitum. Ipse ille *Iustinus*, quod iam eruditi *Strotbii* studio effectum est; ¹³⁾ *nomina* nulla nostrorum Evangeliorum frequentat, licet sæpe vtatur talibus partibus historicis, quæ fuerunt in isto Evangelio Hebraico. Nominat *ἀπομνημονεumατα Ἀποστόλων*, alii nominabant Evangelium *secundum Apostolos*; haud dubie, eodem sensu vtrique. *Irenæus* sciuit quidem nomina nostrorum 4 Evangeliorum, quæ sola solebant *ἐκκλησιασθεῖσαι*, episcopus igitur ipse haud dubie nostra 4 acceperat; sed iam confudit Papæ narrationem


12) lib. 2. hæretic. fabul. c. 2.

13) Repertorium für biblische u. moralische Literatur. Gester Th 13 St. Quod idem clariss. *Strab* græcam Eusebianæ historiae eccles. editionem molitur, boni omnis causa, commemorare licet.

nem, quæ *παράδοσι* Iudaizantium reddebat, cum *ecclesiastico Matthæo Hieronymo* idem accidit, in *catalogo*, sub *Matthæo*. Varias autem *traditiones*, licet essent vni sectæ propriæ, tamen etiam a catholicis non reiectas fuisse, non possumus mirari; quia vetustam caliginem vel cum mediocri lucis specie aut umbra quadam malebant commutare. Iam, cum plures eruditi viri ¹⁴⁾ *Africani*, qui hanc *παράδοσι* recitauit *Δεσποσιων* in Galilæa superstitum, negligant & fide omnino indignam iudicent, licet dubitare nemo possit de fide narrantis *Africani*, qui claris verbis confirmat, ex sermone horum hominum se hausisse narrationem, siue *Φαιητιωντες* (*εναβρηνοντες*) siue *ἀπλωσ*, bona fide, *ἐκδιδασκοντες παράδοσαν*: iure miramur, qui fieri potuerit. vt tot viri eruditi amplecterentur, quidam etiam iusto impotentius, istam *παράδοσι*, de *Matthæi* hebraico *Euangelio*, quæ semper mansit domestica & *ἐπιχωρισ* gloriola eorundem Iudaizantium. Nostra nihil interest, vtrum superstites adhuc fuerint seculi tertii initio *συγγενεις* Iesu, quocumque familiæ iure an falso iactarint quidam istam originem suam; sufficit, tales laudatores suorum maiorum pertinuisse ad christianos Iudaizantes, qui istis *genealogiis* apud *Matthæum* & *Lucam* assuerunt porro continuam aliquam seriem nominum gentiliū, quorum honorem vnice ostentarunt adhuc seculi tertii initio, & istam *Euangeliorum* partem historicam seu genealogicam auxerunt illustrationibus domesticis, quæ regium aliquod decus inde a *Dauidica* gente facerent ipsis proprium. Hi scilicet præcipue *Christum* *κατα σαρκά* præferebant & amabant, haud dubie pleni istis spei imaginibus & miraculis, quæ ad ipsum *Christum* auctorem & promissorem referebantur, qualia ex *Papia* recensere ausus est iste *Irenæus*, Iudaici pectoris homo, tam inepta & stulta; vt descriptores librorum *Irenæi* vltro abiecerint iam olim postrema *Irenæi* capita. Satis longum illum sermonem, qui *Christo* ipsi tribuitur, *Papias* descripsisse videtur ex hoc *Euangelio* κατ' *Ἐβραϊσ*. Sed hæc & alia plura his similia, specie & caractere noua & minus inter nos adhuc vsitata, quæ porro possint a nobis deriuari aut repræsentari ex isto rerum incertarum loco, iam mittimus, aut aliud in tempus seruamus.

No-

14) Casaubonus, Valesius, Dodwellus.



Nostrum enim maxime est, æstumatissimi commilitones, Christum & eius provinciam *κατα πνευμα* potius informare, atque memoriaræ & menti nostræ commendare. Augustissima est formula, quæ Christianorum provinciam describit ad omnes homines, *σωτην απο των αμαρτιων, αιραν των αμαρτιων τε κοσμου*, docere *την οδον τε θεου* perfectius, efficere & procurrare *ζωην τε κοσμου*. Audiamus locupletissimum doctrinæ perfectissime auctorem: quotique effecerint ea, quæ deus ab hominibus vult fieri & effici, interprete ipso Christo: isti sunt fratres & sorores Christi, longe dignioris omnis, quam omnes isti imperitiores Christi amatores, qui externarum rerum casum & diversitatem virtutis domesticæ loco amplectuntur. *Πρωτοτοκον* hunc e multis, quos habebit, deo sponfore, fratribus, sic amare discamus, vt simillima sit nostra cogitandi & iudicandi de rebus deo dignis consuetudo; vt definamus *σαρκικοι* esse & *ψυχικοι*, atque *in Christo* toti simus & viuamus; quod non aliter contingit, quam si dominum & perfectissimam doctrinam illam, quam Christus & præiuit docendo & præstitit viuendo & moriendo, ad optimum dei cultum, & domesticam salutem, studiosissime transferamus. Sic feliciter nostra ipsorum experientia porro etiam ad nos confirmabit illam ingentem sententiam, *natus est vobis seruator*. Sapientissime hoc carmen scripsit ille *Iustinus*, ¹⁵⁾ *τοτε γενεσθω Χριστι γνωσθαι τοις ανθρωποις, εξ οτα η γνωσις αυτου εμελλε γνωσθαι*, cum Christi cognitio locum habet. O infelices homines, qui seruatore, quo deus ipse nobis opus esse decreuit, se carere velle turpibus & foedis flagitiis & vitiiis continuis ipsi vltro profiteantur.

P. P. in acad. Frideric. d. 24. Decembr. 1777.

15) *Iustin* dialog. p. 316. edit. vulgata.



Fe 4194 ✓

ULB Halle


3


002 623 889



St







21.

D. IO. SALOM. SEMLERI
COMMENTATIO
DE ΔΕΣΠΟΣΥΝΟΙΣ,
ET
EVANGELIO HEBRAEORVM.

HALAE
TYPIS HENDELIANIS.

